

Bibliothèque numérique

medic@

**Lassus, Pierre - candidat / Simon,
Jean-François - président. - De morbis
linguae**

1765.



***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***


Cote : ms 2343, n°6



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0006](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0006)





DE MORBIS LINGUÆ. T H E S E S ANATOMICO - CHIRURGICÆ,

*Quas, DEO JUVANTE, & Præside M. JO ANNE-
FRANCISCO SIMON Artium & Chirurgiæ Ma-
gistro, Consiliario, Serenissimi Bavarix Electoris Chirurgo
primario, regix Chirurgorum Academiae socio, Scholarum
Præposito, antiquo Professore Regio, &c. Tueri conabitur
PETRUS LASSUS, Parisinus, præclaræ artium Facultatis Ma-
gister in Universitate Parisiensi : Theseos author.*

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

*Die Sabbati, 1^a. mensis Junii à sesqui-secundâ post meridiem ad
septimam. Anno R. S. H. 1765.*

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis P. A. L. L E P R I E U R, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXV.

F

DE MORBIS LINGUAE.

T H E S

ANATOMICO - CHIRURGICAE.

Cur. Dno JOHANNI, & FREDERICO JOHANNI
FRANCISCO SIMONIS, & JOHANNI

IN OMNIA Δ ZOONOTIA

IN REGIS CHIRURGICAE SCHOLAE

IN SCHOENHOFENI, & JOHANNIS JOHANNIS
JOHANNIS JOHANNIS JOHANNIS

PRO ACTU PUBLICO

MAGISTER LAUREA.



Typis B. A. L. P. R. E. S. S. U. R. Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. D. C. C. X. V.



D. O. M.

DE MORBIS LINGUÆ.

THESES

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

§. I.



INGUA & dentium vallum & ipsius osculi
venustas primò conspicitur. Quod quidem ho-
mini velut promptuarium rectæ rationis & sua-
vissimæ orationis concessum est, ut *quæ pruden-
tia corde conceperit, ea sensa promat oratio*, ut-
que numeros metiretur, ac modos faceret,
fieretque totus ipse homo modulatus ac musicus. Si quidem
vox hominis & tubâ rudore torvior, & lyrâ concentu varia-
tior, & tibiâ questu delectabilior, & fistulâ susurru jucundior,
& buccinâ significatu longinquior. Mitto dicere multorum ani-
malium immediatos sonores, distinctis proprietatibus admi-
randos : ut est taurorum gravis mugitus, laporum acutus

Structura lingue.

A

ululatus, elephantorum tristis barritus, equorum hilaris hinnitus: nec non avium instigati angores; nec non leonum indignati fremores: cæteræque id genus voces animalium truces ac liquidæ, quas infesta rabies, vel propitia voluptas ciant.

Pro quibus homini vox divinitus data, angustior quidem; sed majorem habet utilitatem mentibus quam auribus delectationem. At nihil quicquam homini tam prosperum concessum est, quin ei tamen admixtum sit aliquid difficultatis: ut etiam in amplissimâ quâque lætitiâ, subsit quæpiam vel parva quærimonia, conjugatione quadam mellis & fellis. Ubi uber ibi tuber. Populosa enim linguæ morborum familia, quos quidem omnes hîc non enumerasse pace meâ & alienâ liceat: præcipuos tamen, paucis antea de linguæ structurâ præfatis, eâ quâ possumus brevitate & perspicuitate, recensere conabimur.

In homine oblonga, lata, crassa caro est, palato suppressa, supernè longe libera, infernè multò brevior, ex latiore basi in acutum mucronem sensim desinens. Basis latior ὑπογλωσσῆς, extremum acutius προγλωσσῆς nuncupatur. Media latitudo superior obscuriusculâ crenâ dividitur, quam primus Hippocrates, in Coacis δίκρυν dixit.

Ad laryngem, pharyngem, tonsillas, epiglottidem, gingivas, os hyoides rotundius & brevius homini, quam ulli animalium, lingua molliter retinetur, alligatur. Ut irritabilitate, sic & insigni mobilitate viget. Ad omnem situm & figuram aptissima, totam oris caveam percurrere mirâ volubilitate habilis. In illius dorso, maximè ad apicem & ad latera, papillæ multiplici differentiâ insignes observandæ veniunt. Prima papillarum species *truncata*, secunda *fungiformis*, tertia, *conica*, quarta denique *filiformis* deprehenditur (1), tota linguæ facies superior velatur duriusculâ membranâ, viscosâ, albâ, levibus impressionibus papillarum signatâ, nullis perviâ foraminibus. Reticularis membrana Malpighii, in linguis bovinis coctis conspicua, in homine Clariss. Winslowio (2), aliisque notæ haud infimioris authoribus (3) minimè visibilis, mucosa, tenuis & albescens substantia est, membranâ mamillari & epidermidi

(1) Solent Clariss. viri distinguere tres quatuor-ve papillarum classes: verum hac super re multum est arbitrarii, inquit Cl. Albertus Haller, Element. Physiol. Tom. V. pag. 103.

(2) Traité de la tête. N°. 529.

(3) In linguâ humanâ, teste Ruyschio, demonstrari nequit. Thef. Anat. X. pag. 12.

3

subjacens & interposita, coctionis ope concreta, demùm arte
 viliibilis. In superiori & posteriori linguæ facie, foramen cæ-
 cum, pro ductu salivali à Vtero habitum, modò longius,
 modò brevius, in infantibus non nunquam obscurum, inter
 glandulas linguales ibi copiosissimas, simplices & oblongas,
 conspicuum venit. Glandulæ vero sublinguales, duæ, oblongæ,
 subter linguâ positæ, maxillaribus interdum sociatæ, parvis
 ductulis Rivinianis præditæ, utrinque in ore hiare inveniun-
 tur. Neque hîc involvendum silentio frænum linguæ, quod in
 quibusdam recens natis adedò linguam colligat, ut suctioni vel
 futuræ loquelæ impedimento sit.

MUSCULI in intrinsecos & extrinsecos dividuntur. Intrinseci
 ductus sunt musculosi, quorum alii perpendiculares, alii tran-
 versales, alii obliqui: ex his omnibus substantia linguæ cor-
 poratur. Extrinseci verò, de quibus controversitur in scholis
 anatomicorum, vulgò quatuor pares numerantur: nempe Ge-
 nioglossus, Basioglossus, Ceratoglossus & Styloglossus. Sunt
 etiam Cl. viri qui Myloglossum & Condroglossum addunt. Ho-
 rum musculorum ope (4), lingua motus tam varios & tam
 multiplices exerit, ut eos sermone expedire vix possis. Con-
 tractio enim linguæ facilis, facilisque porrectio, nullo in
 motu laborat. Arteriæ duæ sunt, totidemque venæ: à Caroti-
 dibus arteriæ, à Jugularibus venæ, oriuntur. Nervi à tertio
 ramo quinti paris, & à nono nervorum pari prodeuntes, mox
 ipsimet trunci, surculos edunt multiplices. Denique datur alius
 adhuc lingualis ramus, nempe octavi paris, stylopharyngæi &
 stylohyoidei musculi comes, quinti & noni lingualibus nervis
 consociari amans (5). Vasa lymphatica pauci notarunt, per-
 pauci delineari curarunt.

LINGUA præcipuum est gustûs organum, masticationem, de-
 glutitionem, suctionem, expuitionem salivæ mirabiliter adjuvat.

§. I I.

PRÆTERMISSA gustûs & loquelæ theoriâ, utpote proposito

Vitia linguæ.

(4) *A nullo tamen musculorum exteriorum derives figuras, situs & formas
 linguæ varias, qualis frequentissima illa est inquâ in canalem se fingit, me-
 dio que dorso excavato cibos suscipit.* Albertus Haller. Element. Physiol.
 Tom. III. pag. 429.

(5) *Miror valdè scriptores Anatomicos, præter Winslowium, hanc unio-
 nem rami octavi paris cum quinto & nono tacitam reliquisse, cum sæpius
 quæritam, reperire sæpius, mihi feliciter contigerit.*

A ij

nostro minimè vel parum congruâ, vitia linguæ breviter enumerabimus. Et primò quidem aliquot homines sine linguâ natos, duplici aliquot instructos fuisse, testantur Zwinger (6), Camerarius (7), Bauschius (8) & alii. Non desunt etiam qui, linguâ morbo amissâ, tamen locuti fuere. Celebris est historia Petri Durandi Galli octo vel novem annorum, cui in variolis, gangrenæ morfu, tota lingua excidit, nihilominus loquebatur, gustabat, expuebat, assumpta in ore colligebat atque deglutiebat (9). De eâdem historiâ Carol. Drelincourt (10) ita graphicè. *Hinc nuperum octennem septicâ variolarum labe elinguem, sed loquentem stupuit Academia Salmuriensis, stupuit & universus terrarum orbis, stupebunt & feri nepotes.* At ibi haud sanè est quod aliquis miretur ac stupeat. Linguâ quidem abscissâ, loquelam penitus non tollit. Sunt enim litteræ quæ ejus ministerio non indigent. » Non ideo tamen id fieri crediderim, inquit » jam laudatus Albertus Haller (11), ut multos sine linguâ liberè locutos esse, & omnes demùm litteras pronuntiasse legatur. Linguâ enim mutilatâ, vitiatur loquela. Eos igitur queis » aut cancro aut variolis lingua exesa fuisse ventilatur, non » vitiatâ loquelâ, iis linguam crediderim recrevisse post vulnus » dilatatam : quandoquidem linguæ vulnera suapte sanantur. » Vocis verò usum & qualem cunque loquelam, sine linguâ, » superfuisse, non inficias iverim, subjungit idem author, » cùm vox e glottide solâ nascatur : hinc qui ex morbo balbi » aut omninò ~~apparet~~ sunt, canunt tamen. «

Præ terrore quosdam locutos esse, linguâ licet resectâ, passim lego. Plures item mutos, sine miraculo, loquelam subito recuperasse, ut de Cræsi filio narratur, notum est.

Nunc occurrit magnitudo linguæ præter naturam inolefscens : id vitii aliquando in utero propter pravam conformationem oritur, sicuti exemplum refertur de infante Holmiæ in sueciâ nato, cui lingua ex ore canis instar anhelantis propendebat. Pariter in puellâ linguam eâ amplitudine prostantem, ut vix ore contineretur, observavit Thomas Bar-

(6) Theat. vit. hum. pag. 349.

(7) Syll. cent. mem. 6. n. 38.

(8) In præm. thraumatol. p. 52.

(9) Cl. Antonius Petit Medicus Parisiensis. In notis ad. Palfynum. T. 2. p. 491.

(10) Tract. de variolis.

(11) L. C.

3

tholin (12). Qualitates demum linguæ mutatæ , in pallore , albore , rubore , nigritie , flavedine , asperitate , fissuris , falsedine , amaritie se produnt , de quibus eleganter more suo , disseruit divinus noster Hippocrates , quem ex memoriâ hominum delere nunquam potuit : nec poterit unquam sepulchrale silentium. Illud etiam magnoperè notandum est , linguam aliquoties in recens natis palato ita adhærere , ut suctionem uberis & deglutationem impediat , mors sequeretur , ni digitorum ope aut Spathulæ deglutinaretur (13). Sic natura in mores suos ire negans feliciter arte reducit. Sed iterum exitiale recens natis fortuna periculum intentat ; si enim frænum linguæ imprudenter refecetur , lingua versùs posteriora trahitur , apex ponè velum pendulum palatinum recedit , basis retrorsum ducta epiglottidem deprimit , rimam glottidis obturat , vocis iter præcluditur , & inscius venienti letho occurrit infans flebile fortis ludibrium. Simili infortunio (14) frænum secabatur infanti recens nato , cui post ortum vix quinta effluxerat hora , cum misellus in orcum detrusus est. Hujus improvisæ mortis causam inquirens sagacissimus M. Petit digito in ore immisso massam quasi carneam fauces occludentem tangebatur : fissis utrinque genis ad masseteres usque musculos , vidit linguam quæ priùs veluti massa carnea persentiebatur , retroactam esse ponè velum pendulum palatinum , ita ut apice suo pharyngem respiceret : sic evidenter patuit , miserum hunc infantem linguam propriam , nimis sibi funestam deglutivisse. Notum est servos æthiopes , linguâ deglutitâ se ipsos suffocare , si dura nimis servitus ipsis displicuerit. Postremò lingua patitur inflammationes , tumores in anginâ gangrænosâ , epidemicâ , in febribus : post assumpta venena , pustulas & aphtas curatu sæpe perdifficiles : schirros , qui si parvi , remediis non indigent , irritati verò , carcinomatis origo : abscessus qui , aut ipsa est etiam ranula , aut inflammationis prægressæ amari sunt fructus : ulcera scorbutica , venerea , quorum notitia facilis , ita & curatio , sublatâ prius morbi causâ : vermes etiam , pilos , para-

(12) Cent. 2. hist. 22. hic sane locus de maculis & nævis linguæ paululum differere : at ii tam varii tamque multiplices extant , ut vix integer liber ad eos , ut par est , explicandos , multominus dissertatio Academica sufficiat. Interim vide Smellie Obs. sur les Accouchemens. Tom. 2. p. 247. Boissier de Sauvages , Nosologia methodica , &c.

(13) Id observavit Cl. Lapiè. Hist. de l'Acad. Royale de Chirurg. Tom. III. p. 16.

(14) Mémoires de l'Acad. Royale des Sciences. an. 1742. p. 340 , & sequ.

lysim, jacturam substantiæ, & alia morborum genera, quorum mihi exempla affatim suppetunt: sed aded frequentata & celebrata sunt, ut nemo ea commemorare adortus sit, quin multo plura omiserit quàm recensuerit. Idcirco, ne rem verbosius persequamur, vulnera, *ancyloglossum* (15), ranulam, & alium præterea linguæ morbum quem toties vidimus dolore crudelem, dubium eventu, diuturnitate gravem, ipsâ etiam intermissione lævum, cancrum videlicet, seligimus.

§. III.

Vulnera lingua.

LINGUA ut pote dentibus & maxillis tanquam vallis per opportunè cincta, vulnificis instrumentis rarè se distringendam præbet: verùm sæpe sæpius inter dentes incogitanti sub lapsa deprehensa quæ graviter vulneratur. Id in nobis quotidie experimur ipsi, id in epilepticis quotidie cernimus, illud etiam quandoque evenit, ut glande plumbeâ mediis in præliis hinc & inde explosâ, dilaceretur (16). Si periculi nihil, aut ferè nihil est, haud ita magno vulnere accepto, vinum cum melle mixtum, essentiam succini, & alia id genus rectè in auxilium vocabis, loquelâ & aliis quibuscunque motibus linguæ interdictis. At in longum latum-ve si discissa, aut perforata fuerit, particulâ adhuc hærente, consolidationem quidem rursus admitter, immò sine futurâ facilè coibit ope sacculi cujusdam instar bursæ aptati, qui linguam involvit & cohibet. Ingenio Cl. Magistri Pibrac sacculus ille debetur. Huic invento occasionem dedit puellula quædam epileptica quæ, æstuante paroxysmo, linguam sub validâ dentium collisione interceptam ita laceram fecit, ut ex ore pendula horrendum prostaret. Laudatus author illicò vocatus advolat, os puellulæ distortum & fortiter

(15) Designare volo frænum linguæ morbosum. Ancyloglossum dico peripuriâ verbi, propter paupertatem oris humani & latini sermonis egestatem.

(16) Talis est casus cujus mihi copiam fecit Cl. d'Estremau. Militari viro, sub horâ pugnæ, glans plumbea linguam ita miserabiliter laceraverat, ut minutim concisa & mutilata conspiciebatur. Aderat valida hæmorrhagia quam ferro acuro candente cohibuit hujusce casus author. Incisione regumentorum extrahitur glans plumbea innumeris scatens asperitudinibus. Sana vit vulnus vinum melle rosaceo & aquâ vulnerariâ mixtum, & intra decem & octo dies convaluit ager. Et si magna adfuerit linguæ jactura, ita tamen recrevit dilatata, ut sanato milite, multiplicis cicatricis loca vix reperire potuerint Chirurghi militares. Sic ignis in populi cladem, mox in populi salutem, auspice chirurgo, vivit & accenditur.

clausum referat vi multâ , & linguæ particulam semitruncatam loco suo reponit , futurâ nequaquam adhibitâ : tantum modò sacculum mox celebratum proprio Marte fingit , manuque aptat properâ. Tulit protinûs & voti & consilii sui pretium Cl. author ; sanationem enim perfectam non ultra dies octo fuisse protractam gavissus est. Neque metus in deteriora semper inclinatus interpres , fortunatissimum hunc clinicum adducere potuit , ut futuram ab authoribus commendatam conficeret. Nova vulnera prioribus addere noluit vir sagax , ratus plus quiete quàm movendo rem esse tractandam. Sic fortuna juvat prudenter audaces. Illud igitur remedium in pari casu tanquam certissimum , utilissimumque , futuræ loco , adhibendum esse concludimus. Per totum curationis tempus , silentium , quies ægroto imperanda : hordeatis deinceps , amygdalatis , gelatinâ , ovorumque vitellis enutriendo. Si verò vulnere , aut alio exitiali morbo , linguæ maxima pars amittitur , tunc ruinam refarcire , opus est solitis naturæ viribus majus ; etsi cicatrix vulnere inducatur , cui saliva balsamum naturale plurimum prodest. Attamen linguam resectam renasci observarunt authores nonnulli (17). Instrumentum quoque singulare & feliciter adhibitur quo illi qui ob funeratam insignem linguæ portionem fari nequeunt , ad verba articulatè proferenda uti possunt , descripsit immortalis Paræus noster.

§. I V.

Vix e matris utero proditus infans , mortis inter vitæ que vias fragilem ventis committit ratem per mille pericula facturus iter : pari studio , parique periculo in mutuam infantis perniciem concertant morbi. Ipsa etiam lingua pueris lactentibus utilissima , dum niveos rores fugit ab uberibus , licet rarò , aliquoties tamen rigido nexu cohibetur , lateraliter tendineis stringitur & impeditur retinaculis , aut volumine curvo torquetur implicita : tunc sibi permixta frustra que tumentia ubera captare , præsensque nectar haurire nequicquàm tentat , unde jejunos infans Tantaleâ siti exurit. Has igitur tricas abscindere , fatalesque nodos exsolvere quam primùm expedit , ut linguæ motum quem natura negat , habili forcipe , molliter excidens præstet Chirurgus. At imprimis hîc inquirendum ,

Sectio frangi

(17) Horstius , Rayerus , & alii.

num illa sectio sit semper instituenda nec ne? Si infans linguam protrahere, retrahere & fursum ducere valet, si digitum ori admotum fugit, tunc à sectione fræni abstineto, cum suctio & deglutitio rectè peragantur, & proinde motus linguæ proprii. Sic adèo laudatus Chirurgus ingenii venâ potens Magister Petit, frænum infantis ubera sugentis intactum relinquebat, licet adhuc subesse nonnihil suspicaretur obstaculi; sic prævisa pericula cautè vitabat summus ille vir consilio Nestor, prudentiâ Cato, Dædalus arte. Dilatâ enim sectione, cum infans adultior vegetiorque evadat, feliciùs tutiùsque celebratur operatio; interdum ætas vitium illud sensim emendat & corrigit. Hinc ab statutâ priùs ac decretâ fræni sectione abstinuisse, Chirurgis sæpe sapius est delectatio quædam: opus est enim difficultatis & aleæ plenum. Periculum imminet ab arteriis & venis fortè secandis, unde funesta, immò lethalis hæmorrhagia. Periculum ab abscissione aut dilaceratione nervorum, unde dolor, convulsio, paralyxis. Periculum à dissecis ductibus salivalibus, unde perpetuus ptyalismus. Periculum ab infantis inquiete, à vagitibus, à motu linguæ perpetuo. Periculum denique à frænulo in totum rescisso, unde linguâ sibi permissâ, versus fauces retroactâ, glottidemque obturante, vix benè natus infans improvîsa morte ludificatur. Si tamen in sectione fræni salus infantis sit posita: operi te ita accingas, ut probè firmato capite, linguâ retentâ & elevatâ ope specilli ad hoc vulgò parati, frænulum forcipe apicibus obtusis cautè excidatur. Alioqui vel non multo post iteranda sectio. His peractis, foris evadunt inutiles, aut subterlinguales digiti motus: priores dabit saliva, posteriores verò ipsâ linguæ mobilitas quæ ne frænulum renodetur, satis superque impedit.

At quænam sit medicina venis aut arteriis læsis dicendum est. Tunc opus est festinatione, multum celer properet Chirurgus hæmorrhagiam incipientem & undequaque jam scaturientem, victrici manu refrenet, compescat. Styptica aut astringentia dedignentur tanquam invalida periculosaque (18). Hinc meritò extremitate specilli candentis armatus leviolem crustam Chirurgus inducat, sic potiùs sanguinis impetus cohibebitur. Immo si res cessit improspere, vel crustâ deciduâ iterum oria-

(18) Instrumentum peculiare ex betulâ factum in modum litteræ Y fabricatum, linteolo liquoribus madente obvolutum commendaverat M. Petit. At hujusce instrumenti fortuna in adultis aliàs certa, in infantibus verò fragilis forsan & ambigua est.

9
tur sanguinis effusio ; tunc ligaturam , ut unicum auxilium , adhibendam censemus. *Adèd in medicinâ*, inquit Celsus (19), *etiam ubi perpetuum est quod fieri debet , non tamen perpetuum est id quod sequi convenit.*

§. V.

Nunc quæ de ranulâ dicturus sum paucis complectar , cùm hac super re quid scripserint antiqui , quid-ve nunc teneant neoterici , etiamsi vellem , vix retulerim. Hic enim morbus tot illis fixit cruces , ut unius sensa alterius placitis perfectè quadrare utrùm inveneris , haud satis sciam. Ranulam tumorem esse salivalem , est hodie in confesso apud omnes. Morbus est localis , à vitio solidorum ortus , pueros præsertim exercens. Quidquid ductum excretorium glandulæ sublingualis ita comprimere , angustare & occludere valet , ut saliva trans canalem suum amplius manare nequeat , illud hujusce morbi ansam dabit : sive à tumore , aut ab aliâ qualicunque causâ glandulæ ductum excretorium obstruente enascatur. Ne tamen incuses densitatem salivæ , ut ranulæ causam , cùm humor ille ob suam tantummodò commorationem & stasim inspissetur. Jam verò , discussâ præjudiciorum nube , veterum opinionem ne sequaris. Sententiam Fabricii amplecteris caveas : ranullam enim ortam à materiâ pituitosâ , frigidâ , humidâ , crassâ , e cerebro subter linguam deciduâ , crepat author ille minimè credendus. *Non ergo* , inquit Cl. Louis (20) cui lubenter suffragamur , *ranula tunicatus aut cysticus tumor : ipse sunt glandulæ sublinguales & ductus earum excretorii a salivâ retentâ dilatati.* Hujusce veritatis testimonium mutuamur ab ipsâ voce rationis & experientiæ , quas in enucleando ortu & progressu hujusce morbi , duces secuti sumus. Testimonium , per analogiam a sacco lachrymali nimium extenso , cum exitus lachrymarum ab obstructione canalisi nasalis præfocatur & impeditur. Testimonium ab uretere dilatato ob urinam , ob lapides. Testimonium à spermatocoele quo testiculus insuaviter inolefcit. Testimonium denique ab autoritate mox laudati authoris. Ranulam eximere , causticis inurere & absumere , veluti remedium præfens laudarunt veteres. Nos autem iis sententiâ dissimiles , ratione & experientiâ freti , probavimus ranulam tumo-

Ranula.

(19) Cornel. Celsus, de re medicâ. lib. 7. cap. 12. de linguâ.

(20) Mémoires de l'Acad. Royale de Chirurgie. Tom. III. p. 463, ibi in hanc sententiam clar. authorem locutum accipio.

rem non esse tunicatum, nisi ridiculè glandula ipsa pro tumore tunicato habeatur (21). Erunt itaque in curatione morbi hæc observanda. 1°. Quidem humor quo glandula obturatur, removendus. 2°. Foramen fistulosum ad facilem salivæ emanationem circa unum e punctis incisionis aperiendum. Evacuatur saliva spissa glandulam & ductum excretorium infarciens, ope incisionis amplæ, vel ferri candentis judice Paræo : incisionem amplam dicimus, non parvam, unde brevi postea recrudesceret morbus. Hoc notarunt veteres qui tunicam haud destructam incusantes, glandulam causticis inurebant, irritationem conciliabant, unde sæpe ex levi morbo pessimum inducebant, cancrum nempe tumorem. » Non idcirco vituperabilem eum dicerem (ait Cl. Louis doctrinâ cujus sublata est ambiguitatis tota caligo) » qui ora incisionis turgida, dura, » scirrhusa recideret : aliquoties etiam carnosus tumor statim » excidendus ranulam parit. Si instrumento secante uti libuerit, incisionem volumini tumoris adæquandam esse censemus ; nihil enim inde metuendum. Attamen pace omnium » mihi liceat proponere remedium æque efficax atque incisio, » & quidem minus excrucians, & in hoc aliis anteponendum, quod defluente salivâ in eâ parte quæ ab anteriori sejuncta est, non fieret, dictu visuque fædissimum, stillicidium » in mento & inficera roratio eorum quos æger alloquitur. » Ferro acuto & candenti perforetur tumor, salivæ detur is exitus qui eam jugiter usque manare sinat : malum exterminabitur «.

§. V I.

Cancer lingua.

LINGUAM cancro obnoxiam esse, nemo certe inficialis est : id igitur probare supervacaneum. Satis sit hujusce cancrose molis signa tradere, dein verò curationem designare quam ipsa ratio & ars indignant. Principio vel ab levissimâ causâ, maximum sæpe numerò enascitur & intumescit carcinoma, sive scirrhus præcesserit, sive non. Dens enim acutior linguæ latus pungens, vellicans, si non evellitur : tuberculum indolens aut verruca, si manu improbâ incautiùs contrectetur, aut si causticis, acidis, acribus, & aliis id genus remediis lacessitur ; tunc irritatur, inflammatur, livescit cornea illa durities, fit pruritus, titillatio, calor, tum circa tumorem, veluti ab urticarum

(21) Si glandula sublingualis salivâ nimium turgidâ, pro tumore cystico habeatur, esto ; erit tantum mera logomachia,

infectu vibices patitur æger. Pars dura & aspera, motu gravis, prostat inæqualiter, & tumor antea tardè augescens, mox corripit gradum. Palantes venæ cum tuberculis hinc inde tumentibus, nodosis, varicosis, atro cruore sudantes ultro oberrant. Tumor ille cancer occultus dicitur (22). Cancris autem exulcerati sive aperti quem ibi fungosum & aquaticum dicunt, manifestabunt non ipsa solùm partis exulceratio, aut scirrhus prævius, si fortè fuit, sed subsequencia quoque indicia. Tunc scilicet lingua quasi exoriata denudatur, ulceris ora vehementer tument, mirumque in modum distorta, nunc pallent, nunc rubent. Vestit ulcus comitata sanies terribilissima, sæpe etiam multivaga linguam undique depopulatur, aëris accessus, salivæ stillicidium, calor loci, partis humiditas, labem augent immaniter. In aure indurescunt insoliti & gravantes calli, tument glandulæ jugulares & maxillares, utraque angit maxilla; sitis arida, guttur siccum, deglutitio difficilis, ciborum morosa satietas, utriusque oculi compressus orbis, quies turbida, febris erratica, funereus denique color. Fætidam salivæ proluviem tetri ulceris sanie mixtam, sæpe invitus invitam sorbillans haurit æger, licet ea paucissima in œsophagum, dein in ventriculum descendat, nihilominus tamen, latrantem stomachum sollicitat, dolores insanos excitat, quibus summè favet ibi nervorum importuna vicinitas. Sed diræ sortis jam urgent sævi effectus, nec enim via mortis simplex. Vigilia edax ægrum miris modis discruciat, somnusque viscerum cibus procul arceatur: & dolor & fator addunt se comites; sæpe vel usque ad fauces pervadit cacoëtes ulcus insanabile, totamque linguam usque ad radicem, vix profuso sanguine, rodit, helluatur. Cumque *in corpore humano*, juxta Hippocratem, *confluxus unus, conspiratio una, consentientia sint omnia*, haud mirum, (linguâ nervis tam variè intricatis implicitisque instructâ) si exurgat copiosa malorum seges: videlicet ægrotudo morsum doloris, inquietudo titubationem animi, metus excessum mentis, anxietas pondus corporis insolitum pariens; ita ut omnia viscera sensim sine sensu, non ad sanitatem, sed ad interitum vergant, sicque æger ad ultima salutis detrux, vivum funus, se se miserabiliter ad tumulum trahi incassum eheu! conqueri-

(22) Rarò in linguâ cancer serpit occultus, cum vel ab inæquali dente, vel a vulnere, ab ulcere aut a combustione malè curatis; sæpe malum istud oriatur: id etiam notandum est, in parte potiùs inferiori & laterali, quàm in dorso linguæ increfcere carcinoma.

Remedia,

tur. Tales sunt desperati cancri notæ qui nec ferro nec medicamentis tangendus est. Nunc ad varia quæ passim ventilantur remedia huic pesti expugnandæ profutura transeamus. In diversas hîc Chirurgi scinduntur partes. Alii alia velut specifica assignant. Viam tutiorem calcare quisque se prædicat, hi unice in ferro & igne spem salutis omnem reposuerunt. Illi aliis in rebus quas non exprimam brevitatis causâ. Multi in solâ patientiâ labem elui posse confidentes. At ô nobilis ardor aliis subveniendi! tu verus artis Magister, ingenique largitor. Quidquid animis, quidquid arte valent, collatis inter se studiis contrahunt sanitatis præceptores. Triplex naturæ regnum omni curâ lustratur, vestigatur, effoditur tellus, plantæ leguntur, mineralia è visceribus terræ eruuntur, trucidantur animalia suâ morte vitam datura (23). E mineralium genere, hydragirum Aristoteli atque Theophrasto jam cognitum, à Medicis græcis tanquam venenum quondam proclamatum, à neotericis in omnibus ferè morbis adhibitum atque decantatum, post aurum cui facillimè se sociat omnia corpora gravitate superans, pluribus modis mixtum ac temperatum à quibusdam authoribus, evitatâ salivatione, præscriptum atque adhibitum est (24). Plumbum, lithargyrium, saccharum Saturni, præcipue etiam Mercurius sublimatus albus corrosivus primum locum obtinuit. E familiâ vegetabilium, illæ plantæ quibus narcotica vis inest, *hyoscyamus*, *Papaver album*, *Phytolacæ folia*, *Sedum majus & minus*, *Bella dona* Tournefortii, *Solanum furiosum*, *Solanum maniacum*, vel parum, vel nihil profuere. Cicuta denique, ne nihil intentatum relinquamus, non ultimam laudem sibi acquisivit, æstimatâ verò atque exploratâ remedii fide ita obsolevit, ut vix hodiernum in usum nunc veniat; & ne cicutæ amatoribus palpum obtrudere videar, nobiscum stat experientia. Nec minus è regno animali millepedum succum, jûscula è carne

(23) Dum fervet opus, accurrit, properat, benignam ferens opem Alcumista stulto fortasse impar, certè æmulus. Arcanum igni committitur, vasa rubent, at lux ex fumo non oritur: materia diu multumque agitata, vi ignis variè torta, nil dat boni, & ex longis improbisque laboribus nihil reportatur, nisi quod fracta inter & undique dissilientia vitrea, sudore & cinere sordidus Alcumista stupefactus hæret, dum felix eventus dudum avidis oculis expectatus subito frustratur hiantem.

(24) Salivationem in omnibus morbis oris arcendam & evitandam esse, ut rem perniciosam, nemo est qui nesciat. Verum mihi hoc videor esse dicturus, duos homines venereâ lue & cancro linguæ laborantes, pilularum mercurialium usu juxta codicem Paris. evitatâ salivatione, Magistri Veyget hujusce Collegii moderatoris operâ, perfectè & integrè convaluisse,

viperarum expressa, testudinum, fluviatilis astaci usum commendant nonnulli. Cæteri autem aut non viderunt viam quâ ireretur ad curationis perfectæ punctum, aut visam timuerunt calcare, quidquid sit de prosperis adversisque remediorum fati, haud inficere dici potest

Multa renascentur, quæ jam ceciderê; cadentque
Quæ nunc sunt in honore.

§. VII.

Nunc igitur quodnam sit remedium cancro linguæ opportunum exponamus. Licet cancri linguæ tumores minimè sanabiles vulgò credantur, sanatos tamen aliquot legimus (25). At primò si cancer magnus, annosus, ad fauces usque protensus, si rota fere exesa est lingua, si glandulæ jugulares intumescunt, si surditas, si pyralismus ferè perpetuus, erosio ductibus salivalibus, si decrepita ætas, juncto agmine urgent, si vires fatiscant penitusque abscedant, tunc.

Curatio.

Contra vim mortis nullum medicamen in hortis.

SOla remedia anodyna profunt, quies ægroto imperanda; diata lactæa adhibenda, ut utilissimum in hoc rerum cardine remedium. Emollientia, suppurantia, caustica, vitanda tanquam infida periculosaque. Hordei aqua ulceri eluendo sola proficit. Singulis mensibus alvus leniter ducatur. Ad dolores sedandos in ore, in collo & capite sævissimos, per opportunè, nobis adfuit gossypium opio liquido imbutum, eo etenim in aure immisso sedatur dolor. Hujus excellentissimi remedii ope, in cancro linguæ desperatissimo dolores & vigilias ægroto intolerabiles ita compescuimus, ut obrentâ placida quiete, sævitix morbi diu superstes vixerit æger. Quoad cibos, nihil acidi, austerrî, salini & spirituosî concedendum (26). Juvant & profunt jus-

(25) Felix Platerus, Ruysch. Sculter. Marescotti. divus Hippocrates.

(26) Liquores enim generosi ita perniciosi sunt, ut in muliere vetulâ cui cancer horribilis in ore excreverat, illa tormentis & doloribus jactata, Arabici liquoris, *Casai*, poculum ardens exoptabat, doloris sublevandi causâ: roganti nemo annuit, at illud ita pertinaciter efflagitavit, ut tandem optatis potita fuerit. Eo ipso sorbitionis die bene se habuit, & pulsâ tristitiæ dolorisque nube, vultus inducitur serenos: sed die sequenti, re-
crudescente morbo, doloribus & convulsionibus ita exagitata fuit, ut con-

cula carniū, oryza, lac, & alia id genus. Uno verbo, in hocce ancipiti casu, nullo medicamento uti, optima Medicina. Si scirrhus parvus suapte oriatur, hunc intempestivā medicamentorum applicatione ne laceſſas, ab omni irritatione abſtinendum, ne in cancrum degeneret. Id tantum cures, ut convenienti victūs ratione incrementum præcaveatur. Hinc fit ut per longum tempus, immo per totam vitam scirrhus minus, gravi sine incommodo, plurimi gerant. Quod si ex moleſto pruritu in dolorem mordacem abeunte, conſtat ſcirrhum in carcinoma abire, res utique periculosa est, & tantò periculofior quò cancer major. In medicamentis enim nulla fiducia. In ſectiōe tumoris opportunā ſalus ægri verſatur. Hinc ſequentia clinicorum omnis ævi monita. *Mobilis canceri ut unicū remedium eſt tempeſtiva ſectiō, ſic citra illam inextricabilis error: niſi enim præcidatur, præcidit vitæ ſilum. Unicū canceri deſperati remedium, culter.* Unde pro axiomate practico haberi poterit omnem cancrum extirpandum eſſe, ſi ſalvo ægro & ſine recidivæ metu fieri poſſit. Quapropter cancer linguæ parvus, incipiens, unicū; liber, Ευχερής, à cauſā externā oriū, in juvenili corpore natus, præſertim anteriori linguæ parte ſitus, recidendus eſt, corpore prius victu, medicamentis cauſæ cognitæ adverſis rite præparato. Tunc in illo ultimo caſu Chirurgia ſoſpitatrix chirurgum adjuvet adjuvantem, altera enim alterius mutuam poſcit opem & conjurat amicè, donec utrâque vi artis & ingenii morbus evellatur radicitū. Si tamen in occaſionis momento cujus prætervolat opportunitas cunctatus paululum fueris, nequicquam mox amiſſam quæras. Porro extirpatio ita inſtituenda eſt ut prehensâ linguâ carcinoma integrum a partibus ſanis diſſociatum concinnè reſecetur, ne quid relinquatur vitioſi, exaſperaretur enim carcinoma relictum, ægerque citiùs periret. Peractâ illâ actione chirurgicâ, os aquâ frigidâ eluendum: ſanatur vulnus oleo amygd. dulcium, oleo myrrhæ, melle roſaceo cum vino &c. Per totum curationis tempus, ad perfectam uſque ſanationem, conveniens regimen quale debeat eſſe ſupra diximus. At licet ulceri ſanando labor impendatur vel improbiſſimus, ſæpe irritus cadit, ſpesque medentis eluditur. Celebratâ operatione, ſi æger aut irâ aut vino ſe abripi patiatur, aut ſi in uſu ſex rerum non naturalium peccet:

finium mortis accedens, & calcato Proſerpinæ limine, horribiles inter gemitus anima fugerit indignabunda,

sæpe vel ab levissimâ causâ renascitur dolor , quæ consanuisse videbantur recrudescunt ; dum propellitur ad incurva flexuosaque totius machinæ spatia revolubilis humor , mox in orbe termini prioris aut alii , reciproco gressu , sua iterum calcans vestigia , vagatur errore certo. Frustra poscitur Medica manus , frustra morbus ipse chirurgiæ vires testatur jam expertas , nil auxiliari potest. Dira lues per artus sævit indomita , & tæbe latenti corpus invalidum quatit & discruciat , vires sumit animosior cujusvis remedii impatiens , ars ipsa etiam salutifera victa mæstaque jacet.

Cessere Magistri

Phyllirides Chiron , Amythaonius que Melampus.

Cumque desperatio ultima temeritatem faciat , lentè cautè que semper agendum est. Quæ leniendo ulceri necessaria sunt , tanquam spes subesset , sedulo sibi compareret Chirurgus : simul si conatus cedant irriti , alia præsidia molitur oportet. Cauterio plagam imprimat in brachiis , lac ad medicamentum & victum præscribat , paupere succo vix alitum corpus , blandis & jurulentis cibus sustentet ac refoveat : solamen ut lene momentum adhibeat , Chirurgus enim optimo nec tristis nec onerosa est salutaris officii sui cura : desævientem dolorem narcoticis refrenet , *divinum est opus dolorem sedare* , ait ipse divus Hippocrates ; Chirurgus igitur corporis humoribus sedationem afferat , ditissimas artis opes depromat , & vitam latentem , & animam in corporis latibulis delitescientem provocet , ac recreet , ut si non longiorem , saltem commodiorem morituro dilationem afferat.

FINIS.

